Viro
ſumme reuerendo ac celeberrimo
Io. Sal. Semlero,
patrono maxime colendo,
S. P. D.
Io. Ern. Imm. Walchius

Vt omni tempore mea in Te obſer-
uantia tanta fuit, quanta certe po-
teſt eſſe maxima, ita, quod per deum
teſtor, etiam tum, quum ſiluiſſe
ego iuſto diutius neque meo ſatiſ-
feciſſe officio, et haud immerito
quidem, Tibi videor. Culpam aliquam
hac oſcitantia in me contraxiſſe a-
que haud diffiteor, tamen, quod non
oblivione aliqua Tuae erga me bene-
uolentiae id ipſum arbitror acci-
diſſe, cuius Tu nomine me accuſas;
tanto facilius veniam abs Te con-
fido me impetraturum, quanto
plura adhuc obiecta mihi ſunt
impedimenta, quae me, quod ſincera

366v

mente tibi confiteor, invitum a scri-
bendi officio, neque sine multo tædio,
avocarunt. Me filiam unicam b. no-
stri Hallbaueri matrimonio mihi
votis omnibus iunxisse, ex litteris
tuis video iam ad te perlatum
esse. Quo etsi a laboribus meis litte-
rarumque studiis multum me ab-
strahi non passus sum; credo tamen,
te in eadem, in qua omnes fere co-
gnovi, opinione esse, νεογάμοις
aliquid esse condonandum si ad
aliquod tempus paullo fiant remissi-
ores sibique aliquid indulgeant,
otiumque suum, quod unice antea
musae sibi vindicarunt, si non
omne, aliquam tamen eius partem
dilectissimae sponsae tribuant. Acce-
dit, me hoc matrimonio beati soceri
mei bibliothecam obtinuisse, in qua
locanda disponenda tantum adhuc
quantum vix credere fas est, con-
sumsi temporis.

Nunc, quum ad me ipsum redeo,
redeo simul ad te, vir summe
reverende, animumque tibi devin-
ctissimum, tuique, quem semper habui
studiosissimum testor, spondeo ac

polliceor. Me semper ad officia quaevis
habebis paratissimum et nihil magis,
quam opportunam circumspicientem
occasionem, quanti Te Tuaque erga
me benevolentiam faciam, luculen-
ta ratione tibi significandi.
Addo litteris his binas commentationes,
alteram D. Wunderlichii, qua vota
pro me νεογάμῳ societatis nomine
nuncupavit, meam alteram, fratri
meo Gottingam abeunti boni ominis
caussa consecratam. Utramque
benigne accipias rogo.
Sum iam in eo, ut tertium actorum nostro-
rum volumen in lucem publicam emittam.
Horum duo priora quum abs Te tam
egregie ornata elegantissimis ἐπι-
στολαῖς Tuis sint, facile, credo, Tibi
persuadebis, quam gratum mihi fu-
isset, si coeptam telam in hoc tertio
volumine, si non pertexere, continu-
are tamen et Plinii variantium lectionum
novam aliquam συλλογὴν nobiscum
communicare voluisses. Hoc tanto
magis optavi, quod scio primam
tuam συλλογὴν ab omnibus commu-
ni plausu exceptam esse. Quantum
vero possum, Te rogo atque obtestor,
ut tam egregium ornamentum actis

367 v

nostris haud inuideas nobisque ea,
quae reliqua sunt, si non vna et
iunctim, diuisim tamen, nunc vero
aliquam eorum, quae aliquot pla-
gulas expleat, partem mittas.
Quod si feceris, te vero facturum
confido, rem certe feceris et
mihi et omnibus sodalibus
longe gratissimam ——

Venerandus pater plurimam tibi
nuntiat salutem. Mirabatur,
quum ipsi dicerem, litem illam
ob Halberstatiensem catechismum mo-
tam et quam ipse bene ex actis eius
noui, nondum compositam esse.

Merito luget societas nostra optimi
Gasperi mortem. Opto vitae eius curri-
culum, elogiis, quae actis nostris sub-
iungi solent, aliquando inferendum.

Quod reliquum est me tuo, vir summe
reuerende, fauori, quem maximi facio
omni obseruantia commendo. Ienae
d. 11. Febr. CIↃ IↃCCLIIII.